



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

Dissertatio VII. In Historiam Ecclesiasticam. De Jurisdictione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



# DISSERTATIO VII.

IN

HISTORIAM

ECCLESIASTICAM.

DE JURISDICTIONE.

§. I.

*Jurisdictio Ecclesiae semper propria  
& necessaria.*

**C**ontroversiæ de jurisdictione Clerum inter ac homines profanos a seculo duodecimo fuere tam frequentes, ut dissertatione peculiari examinandas duxerim. Sanum de iis judicium laturo primum noscenda

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII.* A pro-

probe jurisdictio Ecclesiæ semper propria & necessaria, solerterque distinguenda est ab adjuncta identidem tum per concessionem Principum, tum per consuetudines sensim introductas. Ingenuè fatendum etiam postremis seculis potestates ecclesiasticam & profanam sæpe sibi mutuo derogasse.

*Matth. 28.  
v. 18. &c.*

Jurisdictio Ecclesiæ necessaria est illa, quam Christus ad vitam reversus dedit Apostolis, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos; docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Vides, quo redigat exercitium plenæ potestatis a Patre sibi traditæ; ad erudiendos homines & administranda eis Sacramenta: doctrina comprehendit mysteria & regulas morum; Sacramenta designantur omnia per baptismum. In hoc ipso intervallo suum ad vitam reditum inter & ascensum in cælum ad Apostolos agebat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ac deinde,  
cum

*Joann. 20.  
v. 21. &c.*

cum afflasset eos: *Accipite Spiritum Sanctum!* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Sic eis dabat *Matth. 18.* potestatem ligandi & solvendi, quam *v. 18.* eisdem jam promiserat ante mortem suam. Hic tantum loquor de potestate ordinaria & perpetua, quam Ecclesiæ conservatio usque ad finem seculorum postulat. Quocirca non memoro dona præter ordinem collata, prædictiones rerum futurarum, linguas, sanationes, aliaque miracula primis tribus seculis tam frequentia.

Illam vero potestatem, quam Christus Ecclesiæ dedit suæ, bona solum spiritualia, gratiam, sanctitatem animabus comparandam, vitam æternam contingit. Ne ipse quidem, cum ageret in terra, exercuit aliam. Tantum aberat, ut rerum temporalium gubernationem aliquam in se suscipere, ut duos inter fratres partiendæ hæreditatis arbiter esse nollet iniquiens: *Quis me constituit Judicem Luc. 12. v. 14. aut divisorem super vos?* Est Rex:

A 2                      verum

*Joann. 18.  
v. 36.*

verum est: sed regnum ejus, ut ipse dixit, *non est de hoc mundo*: est ordinis altioris. Non vult regnare præterquam in cordibus per amorem, reverentiam & timorem, qualem filii parentibus debent. Nihil cupit nisi subjectos sibi reddere meliores: non exigit tributum aliud, quam laudes, gratos animos, & adorationem in spiritu & veritate. Ita comparatum est Christi regnum.

*De vera re-  
fig.*

Hoc ut erigeret, non adhibuit rationes nisi cum nobilitate finis sui congruentes. Nihil per vim, ait S. Augustinus, omnia persuadendo egit; & ad persuasionem non Philosophorum ritu longis argumentationibus, quas pauci capiunt, sed miraculis usus est ad vulgarem etiam popularemque sensum, ad ciendam attentionem, & fundandam auctoritatem accommodis. Quam facultatem edendi miracula etiam discipulis suis contulit rursus cum aliis communicandam, quamdiu opus fore judicavit ad stabiliendam satis Ecclesiæ suæ auctoritatem.

Hæc

Hæc authoritas est fundamentum jurisdictionis ecclesiasticæ; quæ consistit in conservatione doctrinæ sanæ morumque decentium. Doctrina conservatur, dum constituuntur Doctores, qui eam adæquent omnibus cum seculis; & dum arcentur, qui eam vellent corrumpere. Ecclesia vero semper hoc jus exercuit, tradens doctrinam a Christo acceptam, & creans Episcopos, qui præcipui sunt Magistri ejus; & qui adjuutores sibi consecraverunt Sacerdotes, Diaconos, aliosque Ministros inferiores. Quæ omnia fiebant repugnantibus ethnicis, & inter infestationes crudelissimas. S. Paulus in vinculis haud omittebat docere: ac, ut ipse agebat, verbum Dei non erat alligatum. Sciebat ille etiam reprimere ac punire falsos Doctores velut Hymenæum & Alexandrum, quos tradidit Satanæ ob ipsorum blasphemias: & S. Joannes Apostolus exauthoravit Sacerdotem commentum historiam itinerum S. Pauli & S. Theclæ.

2. Tim. 2. 9.

1. Tim. 1. 20.

Hier. script.  
in Luc.

A 3

Quem-

Quemadmodum in regimine profano primus jurisdictionis actus est institutio Magistratum, Judicum, & ministrorum justitiæ: ita inauguratio Episcoporum Clericorumque est regiminis ecclesiastici actus primus & maximus. Et vero per totam hanc historiam vidisti, quam attenta circumspeditione per prima novem aut decem secula Episcopi designati fuerint. Id particulatim recensui secunda in dissertatione; ubi illustrabam S. Cypriani locum, quo dicit Episcopum legitime delectum judicio Dei constitutum esse. Episcopus semel initiatus Sacerdotes cæterosque Clericos consecrabat, sed consentiente Clero populoque suo, & nunquam sine certo titulo, nempe ad servendum in certo quodam templo. Hinc venit beneficiorum collatio post partitionem reddituum ecclesiasticorum.

to. 8. §. 4.

Cypr. epist.  
67. ad Hisp.

Jurisdictionis pars altera spectans ad conservandos mores bonos exercetur potissimum per administrationem poenitentiae; ubi Sacerdos tanquam Judex noxarum cognitionem capit,

capit, ut sciat, utrum remittere illas an retinere, ligare, an solvere fontem debeat. Vide iterum ea, quæ hac de re dixi secunda in dissertatione; ubi demonstrabam Ecclesiam imposuisse pœnas medicinales tantum & sponte accipientibus, contentam preces fundere pro impatientibus disciplinæ ac obstinatis, coactamque interdum fuisse tales segregare a corpore suo, ne reliquos inficerent. In dissertatione tertia notavi duos errores pœnitentiæ plurimum obstantes, pœnarum canonicarum multiplicationem nimiam, operumque piacularium irrogationem obtrusam. Has ad dissertationes in historiam te remitto, Lector, ne repetitio mihi sit facienda.

n. 8.

Alia jurisdictionis ecclesiasticæ to. 13. n. 16. pars forsan primo ponenda loco est jus condendi leges & sanctiones; jus omni societati necessarium. Sic Apostoli Ecclesiis a se institutis dabant disciplinæ regulas, quæ quodammodo per manus traditæ diuque hoc modo conservatæ, postea mandatæ

A 4

litteris



litteris vocantur canones Apostolorum, & constitutiones apostolicæ. Concilia quoque frequenter habita præscriptiones identidem aliquas faciebant: nos canones appellamus voce Græca, quæ regulam significat.

## §. II.

*Arbitratus Episcoporum.*

Quia Præfulum munus postulabat, ut inter Christianos charitatem & concordiam foverent, magnopere studebant placare querelas, & dirimere aut prævenire controversias: saltem monebant subiectos sibi, ut eas amice inter se transigerent, nec ad ethnicos suos Judices ordinarios deferrent. S. Paulus id Corinthiis vehementer exprobrans dicit vel infimos eorum nimio plus bonos esse ad dijudicandas ipforum causas profanas: tam parvum eas momentum habere: curarent, ut ne malum exemplum præberent ethnicis reliquorum instar hominum pro lucellis litigando. Addit: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia*  
*habe-*

1. Cor. 6. 4.

v. 7.

*habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Quamobrem nerveose illos hortatur ad proprii neglectum commodi & avaritiæ fugam. Ita, dum Christus noluit esse arbiter duos inter fratres, hinc arripuit occasionem erudiendi populi de contemptu bonorum temporalium.*

Etsi vero ex sententia D. Pauli laicorum infimi poterant arbitri capi a fratribus suis: plerumque tamen Episcopum fovebant tanquam communem patrem suum: horumque judiciorum suavium formam cernimus in libro constitutionum apostolicarum scripto ante finem insectationum. Episcopus sedebat medius inter Sacerdotes, sicut Magistratus inter consiliarios: Diaconi astabant velut apparitores aut ministri justitiæ: partes comparebant per se ipsas, & ore se suo explicabant. Controversia sincera fide discussa sine exactis formulis decidebatur secundum legem divinam nempe sacras litteras. Judex considerabat qualitates partium,

tium, præsertim mores, ne vel calumniæ vel captioni daret locum: nec contentus litem recte decernere declarando, quod æquum erat, id etiam persuadere partibus, iudicio eas suo morigeras reddere, germanam in gratiam reducere, ab omni acerbitate ac odio sanare conabatur. Idcirco causas audiebat die lunæ, ut partes per reliquam hebdomadem suos sedarent animos, ac sequente dominica suis in precibus puras ad Deum manus tollerent; sicut loquitur Apostolus.

1. Tim. 2. 8.

§. III.

*Concilia.*

Causæ majoris ponderis, veluti querelæ de Episcopis ipsis cognoscabantur in conciliis provincialibus. Habebantur autem plerumque duo singulis annis; nisi obstaret aperta infectatio: & supra hæc concilia non dabatur tribunal ordinarium. S. Cyprianus loquens de Christianis vexationis tempore lapsis inquit: Expectent Ecclesiæ pacem publicam, ut in conventu multorum Episcoporum de

epist. 19.

de sententia communi omnia possimus constituere. Concilium Nicænum mox, cum Ecclesiæ libertas obtigisset, habitum, duo pro quovis anno concilia præscribit: quod indicare videtur, jam tum invaluisse consuetudinem ea crebro celebrandi.

Can. 5.

Talis igitur erat jurisdictio Ecclesiæ necessaria: talem hæc accepit a Christo. Sustinebat se per se ipsam sine ullo potestatis profanæ auxilio, continens se intra limites suos, & nihil temporalium sibi vendicans. Hanc puritatem servavit per tria secula prima sub Imperatoribus ethnicis: nec unquam alias fortior fuit aut felicior; id est: nunquam pulchrius floruit omni virtutum genere; quæ sunt unicum bonum ei a Christo pro hac vita promissum. Fundamenta hujus jurisdictionis erant pastorum authoritas, & populorum fides. Pastores reverentiam sibi conciliabant per doctrinam & virtutes suas: populi haud noverant malum in hac vita gravius quam sejunctionem ab Ecclesia & communione

nione Sanctorum. Quos illa non commovebat, nihil arcebat a reditu ad cultum falsorum Numinum. Sed quamdiu manebant Christiani, nihil faciebant pluris quam gratiam divinam æternorumque spem bonorum.

Hanc per authoritatem mere spirituales Ecclesia impugnavit ac repulit tot hæreticos primis seculis confluentes; Nicolaitas, Gnosticos variorum generum, Ebionitas, Valentinianos, Encratitas, Marcionitasque. Opponebantur eis solum institutiones, benigna colloquia, & insuperabilis quædam constantia in fugienda ex monito S. Pauli consuetudine illorum, quorum desperata erat emendatio.

*Tit. 3. 10.*

*Tit. lib. 3.  
S. 4. 8.*

Quamquam vero Ecclesia potestate profana non egebat ad exercendam jurisdictionem suam; non tamen recusabat ejus opem, ne ethnicorum quidem. Videmus hoc in causa Pauli Samosatani, qui Antiochenam sedem relinquere jussus, ibi hærebat sub præsidio Reginae Zenobiæ, donec Impera-

perator Aurelianus rogatu Christianorum a domicilio Episcopali eum curavit abigi.

§. IV.

*Tutela Principum.*

Imperatores Christiani protegere solebant Ecclesiam, & ad exequenda ejus judicia interponebant suam potestatem, quæ cogendi vim habebat.

Sic Arium Nicæno in concilio damnatum Imperator Constantinus in exilium misit, & scripta ejus comburi voluit, sub mortis pœna prohibens, nequis ea occuleret: ac Nestorio idem fecit Theodosius. Hic est secundus ecclesiasticæ jurisdictionis status, in quo eam profana fulcire cœpit.

Hoc egit eo potissimum fine, ut auctoritatem tribueret Episcoporum arbitratibus, quorum utilitatem nemo non agnoscebat. Imperator Honorius anno 398 Mediolani commorans sanxit, ut possent, qui vellent, coram Episcopo litigare; sed is

tan-

*lib. 11. §. 24.*

*lib. 26. §. 34.*

*Hist. lib. 20.*

*§. 35.*

*l. Cod. de E-*

*pisc. aud. l. 8.*

*Cod.*

tanquam arbiter voluntarius de materia civili solum decideret. Et anno 408 per aliam legem statuit, ut arbitraria Episcopi sententia executioni daretur sine appellatione, sicut judicia Præfecti prætorii; ac executio fieret per Judicum administratos: quod argumento est Episcopis nullos fuisse.

*l. 25. de  
Episc. Ec.  
l. 29. §. 4. de  
de Episc.  
aud.*

*l. 23. de Episc.  
l. 29. §. 1. de  
Episc. aud.*

Nemo cogebatur ad Episcopum deferre litem, ne contra Clericos quidem. Ita sonat lex quam Imperator Marcianus anno 456 tulit: Qui litem agit adversus Clericum Constantinopolitanum, si nolit subire arbitrium Archiepiscopi, illum judicio persequi non poterit alibi, quam coram prætorii Præfecto. Generatim Clerici sicut laici subiecti erant jurisdictioni profanæ: id solum erat vetitum, nequis illos alia in provincia litibus implicando a templis ac servitio divino abstraheret: Judices locorum, in quibus illi residebant, adeundi erant ex principio communi, quod vult petitem sequi forum defensoris. Hoc est, quod continet

tinet lex quædam Imperatoris Leonis: & hac in re consistebat Clericatus privilegium. Medio seculo quinto movebantur querimoniam de Episcopis, quod vellent jurisdictionem augere suam. Itaque Imperator Valentinianus III Romæ versans *Cod. Theod. p. 566. Novel. Valent. tit. 12. Hist. l. 28. §. 39.* 15 Apr. anno 452 hanc edidit legem: Episcopus non habet potestatem dicendi jus; ne Clericis quidem, nisi consentientibus ac ex compromisso: quia certum est Episcopos ac Sacerdotes non habere tribunal per leges institutum, nec posse cognoscere nisi causas religionis, secundum sanctiones Arcadii & Honorii. Clerici tenentur respondere coram Judicibus, seu res civilis, seu capitalis agatur: id solum Episcopis & Sacerdotibus pro privilegio damus, ut se in re criminosa per procuratorem defendant.

Imperator Justinianus harum legum plerasque in Codice suo posuit & confirmavit; similesque addidit; inter alias unam, in qua dicit: Mennas Patriarcha Constantinopolitanus



*Nov. 83.*

tanus flagitavit a nobis hoc pro Clericis privilegium, ut, si quis contra Clericum causam habeat pecuniariam, primo adeat ejus Episcopum, nec illum traducat ad tribunalia profana; nisi causa sit difficilior, quam ut ab Episcopo decidi queat; sed ne tum quidem Clericus a ministerio avocetur suo. Si Clerico inferatur crimen, distinguendum est crimen civile a crimine ecclesiastico. Crimen civile hic dicitur illud, quod committitur contra leges civiles, ac temporalia solum contingit, sicut civiles vocantur cuncti Judices profani. Quod observandum necessario, quia ex usu nostro res civilis semper opponitur rei criminosaë. Si proin, ait lex, crimen est civile, Clericus accusatus Constantinopoli vocabitur ad Judicem legitimum, & in provinciis ad Gubernatorem, ita ut duos intra menses finiatur actio; atque si accusatus comperiatur nocens, Judex eum exaugurari per Episcopum prius curet; quam secundum leges eundem puniat. Si vero crimen

men sit ecclesiasticum, Episcopus id  
 judicabit, nec se interponent civiles  
 Judices: nolumus enim hos ullam ca-  
 pere cognitionem ejusmodi rerum ad  
 examen ecclesiasticum pertinentium,  
 ac secundum canones plectendarum,  
 quos sequi leges nostræ haud fasti-  
 diunt. Hæc sanctio facta est anno  
 539.

In alia anno 541 condita Justi-  
 nianus ait: Siquis actionem habeat  
 contra Clericum, adeat primo Epis-  
 copum: atque si utraque pars in hu-  
 jus judicio acquieverit, loci Judicem  
 id exequi volumus. Si alterutra pars  
 intra decem dies reclamet, Judex lo-  
 ci examinet causam; atque si confir-  
 met judicium, non licebit amplius ab  
 eo appellare. Si autem sententia Ju-  
 dicis sit Episcopi sententiæ contraria,  
 tum provocatio habebit locum, & ju-  
 dicitum feretur secundum leges. In  
 materia criminosa, si Episcopus ac-  
 cusatum coram se Clericum compe-  
 riat fontem, eum exauguret: tum le-  
 gitimus Judex comprehensum ex le-

Nov. 123.

c. 21.

Hist. l. 33. §. 6

Hist. Eccles. Tom. XXIII.

B gum

gum præscripto judicet. Si actor prius judicem civilem adeat, & crimen demonstret, instrumenta litis exhibebit loci Episcopo, qui nocentem, si convictum videat, exaugurabit: & Judex hunc puniet secundum leges. At si Episcopus formam liti haud recte datam videat, exaugurationem differre poterit, ita tamen, ut accusatus bona sub custodia maneat; & tam Episcopus, quam Judex causam ad nos referant capta cognitione dijudicandam. In materia civili, si Episcopus differat sententiam, petitori liberum erit adire Judicem profanum. Si vero causa sit ecclesiastica, Judex civilis eam haud cognoscet. Hujus decreti pondus dissertationis ordo continens indicabit.

*l. 12. Cod. de  
Ep. aud.*

Imperatores Christiani Episcopis etiam inspiciendam disciplinam morum civilem ac honestatem publicam commisere. Cum patres aut Domini filias vel mancipia sua vellent prostituere, hæc Episcopi tutelam implorare poterant, ut innocentiam servarent

rent suam. Poterat is quoque, Ma-<sup>l. 14. eod.</sup>  
 gistratus instar, impedire, ne mulier  
 libera vel mancipium invitum prodire  
 in scenam ac esse spectaculo cogere-  
 tur. Debebat ille una cum Magi-<sup>l. 24. eod.</sup>  
 stratu tueri libertatem expositorum<sup>l. 3. de inf.</sup>  
 infantium. Aderat quoque, cum<sup>expos.</sup>  
 crearentur & jusjurandum darent cu-  
 ratores amentium ac eorum, qui per  
 ætatem sui juris non erant. Jube-<sup>l. 27. 28. 30.</sup>  
 bantur Episcopi quavis hebdomade<sup>de Ep. aud.</sup>  
 semel, scilicet die Mercurii aut Ve-<sup>l. 22. eod.</sup>  
 neris obire carceres; criminumne an  
 debitorum causa ibi servi aut ingenui  
 detinerentur, inquirere; Magistratus,  
 ut suum eis munus præstarent, admo-  
 nere; negligentium nomina deferre  
 ad Imperatorem: denique admi-  
 nistrationem ac usum proventuum  
 & pecuniarum urbibus communium,  
 atque structuram vel reparationem  
 operum publicorum recognoscere.  
 Talis erat secundus jurisdictionis ec-  
 clesiasticæ status, in quo Imperatores  
 ad Christianam adducti fidem maje-  
 state sua sustinebant Præfulum au-  
 thoritatem, ac rerum temporalium

B 2 inspe-

inspectionem eis aliquam demandabant, pro existimatione ac fiducia in ipsis posita: & Episcopi submissionem ac obedientiam summis Principibus debitam veluti partem religionis populo inculcabant. Ita duæ potestates sacra & profana adjuvabant se mutuo & fulciebant.

## §. V.

*Concilia nationum.*

**H**anc concordiam, ni fallor, Imperii occidentalis ruina, & barbarorum dominatio dirimere cœpit. **N**ovos Dominos horridos moribus & natura feroces, quos omnes falsorum Numinum cultus, aut hæretica lues infecerat, spernebant Romani & averfabantur. Crescebat e contrario fiducia & reverentia populorum erga Præsules, qui cuncti erant Romani, multi de nobilissimis ditissimisque. Sed progressu temporis barbari Christianam amplexi fidem Clero nomen dederunt retentis moribus suis, ita ut cernerentur Clerici, immo Episcopi

pi venatores bellatoresque. Evase-3. Diff. §. 8. 9  
 runt etiam Dynastæ; quo nomine  
 debebant interesse conventibus, in  
 quibus expediebantur negotia regni,  
 & qui simul erant senatus & concilia  
 totius nationis.

His conventibus potissimum ad-  
 scribo ultra suos limites ac in forum  
 profanum extensam jurisdictionem  
 ecclesiasticam. Exemplum terrifi-  
 cum videmus post finem seculi septi-  
 mi in duodecimo concilio Toletano, *Hist. l. 49:  
 §. 29.*  
 quod Regem Vambam perdidisse co-  
 ronam, & subjectos a juramento fide-  
 litatis liberos declaravit. Quæ opi-  
 nio de Præfulum potestate exautho-  
 randi Reges, per sequentia duo secu-  
 la tantum fecit progressum, ut Reges  
 ipsi hanc non negarent: veluti appa-  
 ret ex libello, quem Carolus Calvus *Hist. l. 49:  
 §. 46.*  
 anno 859 contra Venilonem Seno-  
 num Archiepiscopum concilio Sapo-  
 nariensi obtulit.

## §. VI.

*Fus novum.*

*l.44. §.22.*  
*Diff.4. §.2.*  
*Hist. l.59.*  
*§. 28.*  
*Diff.3. §.14.*  
*lib.65. §.8.*  
*ep. 84.*

Isidori decretales falsæ sub finem seculi octavi editæ crearunt magnam jurisdictionis mutationem tribus in capitibus, nempe in conciliis, judiciis Præfulum, & appellationibus. Conciliis, ex quo sine permissu Papæ haberi non posse credebantur, multo rarius celebratis majus eodem tempore obstaculum posuere bella civilia, & universales inimiciæ post regimen Ludovici Pii ac medio seculo nono exercitæ. Hæ turbæ cum rumpent urbium commercium, conventus Præfulum plane arcebant: legisti conquerentem hac de re Ivonem Carnutensem. Cessatio autem seu intermissio conciliorum provincialium jurisdictioni ecclesiasticæ luculentam imposuit plagam.

*Diff.4. §.3.* Aliam inflixit difficultas judicandi Episcopos itidem per decretales falsas introducta, quæ illorum iudicium Papæ soli reservabant, addebantque

bantque novas regulas de qualitatibus actorum ac testium. Hæc vero difficultas corrigendi submovendique malos Episcopos fecit, ut impunita manerent eorum crimina, & disciplina concideret. Demum proximæ **s. 5.** appellationes ad Papam in omni causarum genere jurisdictionem ordinariam omnino sustulere. Vide, quid hac super re dicant Hincmarus, Ivo Carnutensis, & S. Bernardus.

Has jurisdictionis conversiones **s. 6.** firmavit auxitque decretum Gratiani ecclesiasticis in tribunalibus unica pro norma habitum per quadringentos propemodum annos. Nam Summorum Pontificum sanctiones collectione hac posteriores redeunt ad placita, quæ ista continet. Gratianus vero **25. q. 1. c. 16.** decretales falsas amplificavit in duobus **17.** magni momenti capitibus, quæ sunt authoritas Papæ, & immunitas Cleri. Nam contendit Papam cano- **1. q. 1. c. 35.** nibus haud esse obnoxium; & Clericos **37.** a laicis nullo in casu judicari posse. Jam Papa Nicolaus I in suo ad



- c. 70. 83. *Bulgaros responso dixerat: Vos lai-*  
*Hist. l. 50.* ci non debetis judicare *Sacerdotes*  
 §. 51. aut *Clericos*, nec eorum vitam exa-  
 minare, sed *Episcoporum* iudicio re-  
 linquere. *Immunitatem Clericorum*  
 II. q. c. I. probandi causa *Gratianus* producit  
 quatuor decretales falsas, putatam  
 c. 3. 7. 14. *Papæ Caji* ad *Episcopum Felicem* e-  
 pistolam, secundam *Papæ Marcellini*,  
 primam *S. Alexandri*, & *S. Silvestri*  
 c. 10. 23. in concilio Romano. Denique affert  
*Hist. l. 46. §. 8* falsam *Constantini* legem a *Carolo*  
*Magno* adoptatam, qui ommissa *Cleri-*  
*corum* mentione peculiari *Episcopis*  
 permittit omnes causas illorum, qui  
 hos etiam invitis partibus adversis in  
*Judices* elegerint.

## §. VII.

*Extensio jurisdictionis Papæ.*

**H**is variis modis *jurisdictio ecclesia-*  
*stica* post seculum duodecimum  
 valde mutata fuit tam per confusio-  
 nem profanorum cum sacris, quam  
 per extensionem *authoritatis Papæ*  
 non sine damno *Præfulum*. Nam  
 præter-

præter appellationes Papa sæpe causas a primo iudicio ad se vel ad Legatos suos, aliosve a se designatos Iudices transferebat, concedebatque evocationes generales peculiareve ad suum tribunal adeundum. Exemptiones quoque cæteraque privilegia magnum causarum numerum Iudicibus ordinariis subtrahebant. Sed quodnam aliud illorum fundamentum erat quam opinio vaga, Papam posse, quæ vellet, omnia, neque canonicis esse subiectum? Alioqui quomodo subducere invidorum Præsulum jurisdictioni poterat Ecclesias privatas, vel totos Ordines Religiosos? Legisti ea, quæ S. Bernardus objiciebat Abbatibus sui temporis has exemptiones quærentibus, & Papæ Eugenio eas nimis facile permittenti contra commune bonum Ecclesiæ. Non quidem abjudicat ei hanc potestatem, nec in controversiam vocat: at non satis noverat veterem disciplinam ætate sua oblivioni datam.

Sed cognita erat centum abhinc annos: ut patuit ex concilio, quod

B 5

Ansæ

*Hist. l. 67.*

*§. 57.*

*Opusc. 2.*

*c. 35.*

*Lib. 69. n. 59*  
*de Conf.*

Ansæ prope Lugdunum anno 1025 fuerat habitum. Ibi Episcopus Matiscensis conquerebatur suæ diocesis Monachos Cluniacenses sine suo permisso ab Archiepiscopo Viennensi sacris imbutos esse. Odilo Cluniaci Abbas protulit Papæ privilegium cœnobii sui exemptionem docens. Sed Concilium opposuit canones concilii Chalcedonensis aliorumque, ob quos Episcopi privilegium esse nullum declararunt; & Archiepiscopus Viennensis errorem agnovit suum. Adeo persuasum sibi habebant illi Episcopi Papam non esse supra canones. Verum est, Concilium Cabillonense triginta octo post annis celebratum, cui S. Petrus Damianus tanquam Legatus præsidebat, Cluniaci privilegia confirmasse: quod indicat opinionem de potestate Pontificis Maximi jam fuisse mutatam.

*Hist. l. 61. §. 7*

*to. 9. conc.  
p. 1177.*

Jurisdictionem Præfulum magno-  
pere constringebat etiam jurisdictio  
Legatorum a seculo undecimo tam  
frequens; & qua gaudebant non so-  
lum

lum Legati *a latere*, sed & ii, qui re-<sup>v. Diff. 4. §. 11</sup>  
 fidebant in locis, & legatione per  
 privilegium suæ sedis, aut per man-  
 datum singulare fungebantur. Cun-  
 cti tanquam personam Papæ geren-  
 tes jurisdictionem habebant exclusis  
 Episcopis omnibus, cujuscunque di-  
 gnitatis essent, quin etiam Patriar-  
 chis, illamque Judicibus aliis delega-  
 re poterant.

## §. VIII.

*Usurpationes fori alieni seu  
 profani.*

Sic coarctati Episcopi per damna  
 Judicum laicorum extendere ju-  
 risdictionem conabantur suam triplici  
 ratione, personarum, causarumque &  
 auctorum Judicum, Personæ erant  
 Clerici, quorum privilegia, ut vidisti  
 modo, magnum jam incrementum  
 ceperant, cum illi profanæ jurisdic-  
 ctioni prorsus subducerentur, & ita  
 quidem, ut Bonifacius VIII in cele-  
 bri decretali *Clericis laicos* clarissime <sup>C. 3. de imm.</sup>  
 dicat laicos nullam habere potestatem <sup>in 6.</sup>  
 in

*Rayn. 1296.* in Clericos & horum bona. Exten-  
*n. 25.* debatur hoc privilegium, dum Cleri-  
*Hist. lib. 89.* corum numerus in immensum auge-  
*S. 43.* batur. Etenim, ex quo in contem-  
 ptum venerat Concilii Chalcedonen-  
 sis decretum sapiens contra Ordines  
 sine titulo conferendos, Episcopi  
 consecrabant Clericos, quotquot vo-  
 lebant sine delectu, sine modo; in-  
 terdum solo sine amplificandi jurisdic-  
 tionem suam. Multi tonsuram  
 tantum, multi minores accipiebant  
 cum matrimonio fociabiles: sic loca  
 omnia erant plena Clericis conjuga-  
 tis; qui Ecclesiæ neutiquam servien-  
 tes mercaturæ & artibus etiam in-  
 decentissimis operam dabant, usque  
 adeo, ut Concilium Viennense coge-  
 retur interdicerere, ne lanios caupo-  
 nesque agerent, & jam antea esset  
 prohibitum, ne nugatores se ac lu-  
 dios profiterentur. Demum in Cle-  
 ricorum domesticos & familiares, ut  
 vocant, dilatatum est Clericatus pri-  
 vilegium, quo in Hispania etiamnum  
 gaudent. Si jam Clericorum exem-  
 ptio nimiusque numerus spectentur  
 simul,

*Clem. I. de  
 vita & ho-  
 nest. Cler. C.  
 un. de vita &  
 hon. in 6.*

simul, pauci denique superfuissent laici; atque Præsules potestati profanæ, quotquot voluissent, capita subtrahere potuissent.

Per speciem benignæ tutelæ, in quam Episcopi viduas, pupillos, cæterosque debiles primis seculis recipiebant, assumebantur omnes eorum causæ, licet ii nec bonis caverent nec potestate, veluti Reginæ viduæ ac Reges in ætate tenera. Perhibitum, hoc jus protendebatur in peregrinantes pietatis causa, ideoque in milites sacrae crucis, quorum bona protegenda suscepit Summa Sedes; immo in lepra infectos usque tanquam per authoritatem Ecclesiæ ab hominibus reliquis separatos. Hæc de personis.

Ad causas quod attinet, hæc serviebant ad jurisdictionem sacram proferendam in laicos ipsos non nisi moliter repugnantes. Id docent leges Alphonsi Regis Castiliæ sub medium seculum decimum tertium compositæ:

*Diff. 6. n. 13.*

*Hist. 1. 77.*

*§. 17.*

*Conc. Nig.*

*c. 5.*

*Hist. 1. 89.*

*§. 13.*

tæ: ubi materias, quas sibi potuisset afferere, Judici ecclesiastico tribuit; veluti statum hominum, jus nominationis ad beneficium, usuram, adulterium, sacrilegium. S. Ludovicus egit sapientius. Nam in legibus, quas eodem tempore sub nomine constitutionum edidit, profanas solum tractat materias ita, ut nec Clero ansam conquerendi præbeat, nec ejus molitionibus conferat auctoritatem.

Hæc ad molimina varios eis obtentus subministrabat tam qualitas causarum, veluti juramentum plerisque pactioibus additum, quam connexio cum materiis spiritualibus. Sic ex occasione Sacramenti matrimonii capiebant cognitionem dotis & usufructus certæ partis ex bonis maritalibus, qui uxori superstiti concedebatur, cæterorumque pactorum conjugialium, adulterii, status prolium; ut judicarent, quænam essent legitimæ. Et quia pro certo habebatur non debere confici testamen-  
tum

tum sine legatis piis, concilia plura præceperunt, ut testamenta fierent præfente Parocho; ac Episcopus executionis rationem sibi reddendam curaret. Cognitio autem testamentorum inducebat obfignationes re-  
*Conc. d' A-*  
*vign. 1282.*  
*c. 10.*

Jurisdictioni in laicos propagandæ prætexebantur etiam crimina ecclesiastica, nimirum illa, quæ religionem directo impetunt, sicut hæresis & schisma; vel quæ per leges civiles non prohibebantur, veluti ufura & concubinatus. Etenim Clerus contendebat illorum criminum cognitionem ad se solum pertinere; nisi quod Judicium laicorum esset ad capiendos fontes ac exequendas sententias ipsi præsidium ferre, pœnisque sacris profanas addere. Et quia crimen hæresis jacturam bonorum, jurium, ac terrarum etiam summis Principibus inferebat; ii, quorum pernicies cupiebatur, accusari de hæresi solebant, ut Imperator Fridericus II, Manfredus, & tot alii. Cui rei  
*Hist. l. 77.*  
*§. 63.*  
*Conc. de*  
*Bourg. 1286*  
*c. 30.*  
*Hist. l. 87.*  
*§. 34.*  
*Hist. l. 82.*  
*§. 23.*



l. 85. §. 13. 23 rei obtentus non deerant. Nam quoties proscriptus Princeps aliquis interdicto divinis territorio suo spernebat censuras, ut fiebat sæpissime, arguebatur, quod non crederet potestatem clavium, ac ex illo tempore pro hæretico habebatur; sicut etiam privatus quilibet, qui per anni spatium sufferebat anathema, nec se absolvendum curabat.

§. IX.

*Multiplicatio Judicum.*

Alius jurisdictionis exporrigendæ modus efficax erat Judicum multiplicatio: nam generatim quo plures dantur Judices & Administri justitiæ, eo plures sunt lites. Episcopi magnarum diœcesium constituebant Judices in locis variis præter urbem episcopalem: Archidiaconis viri alii vicariam præbebant operam: & Collegia exempta gaudebant jurisdictione ac territorio. Vices omnium istorum Judicum, quoties ægrotabant, vel aliter erant impediti, gere-

*Conc. Chast.  
Gont. 1231.  
6. 2. 12.  
Hist. 1. 80.  
§. 4.*

gerebant vel gerere poterant alii, & inter Judices ordinarios ipsi quoque numerabantur: præter quos dabantur delegati, delegatorum vicarii & alii cognitores. Quomodo inveniri poterat tantus Judicum numerus ad functiones suas habilius? Omitto reliquos justitiæ ministros.

## §. X.

*Avaritia Judicum & calliditas.*

De inveniendis talibus, qui commodis non servirent suis, ne cogitandum quidem erat. Patebat manifesto Clerum lucri studio præcipue inductum esse ad hanc occupationem, tam parum gratam per se ipsam. Siquis eam charitatis causa sibi sumebat, ut S. Ivo, miraculum erat. Quamdiu Episcopi Clericique potissimum quærebant Dei gloriam & salutem animarum, scilicet quinque aut sex primis seculis, satis occupati erant sacris precibus, docendo populos, consolando pauperes. Non suscipiebant arbitria nisi ægre, partes

*Histor. Eccles. Tom. XXIII.*

C que

*Hist. l. 90.*

*§. 31.*

*l. 2.*

que reconciliandi gratia. At ex quo tempore volebant in laicos dominari & opes congerere, putabant se viam inter optimas unam ingredi, cum omnes eorum causas sibi subjicerent. Occasionem præbuit ignorantia laicorum tanta, ut ne legere quidem scirent (quod dixi alibi) magnique Domini haberent Clericos, qui epistolas & libellos componerent, argentum cogere & custodirent, accepti expensique rationes conficerent. Clerici agebant tabularios, notariosque, advocatos & procuratores: verbumunia exercebant omnia, in quibus opus est nosse scribere. Unde factum, ut juniores pragmatici sermone Gallico *Clercs* etiamnum vocentur.

Ita Clerici ab instituto vitæ suæ sensim recedebant obliviscentes illud *2. Tim. 2. 4.* Apostoli dictum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*: neque his implicabant se tantum, sed ob-  
ruebant etiam, ac demergebant. Tantum aberat, ut errorem sentirent suum, ut

ut eum gloriæ sibi ducerent, atque hujus nimiae jurisdictionis, quam verorum Ecclesiæ jurium studiosiores huic servitatem injungi clamarent, cum cernerent molitionibus suis limites poni plerisque in conciliis seculi decimi tertii ac decimi quarti. Quo usque processerit Judicium caliditas, videmus per abusus tribunalium ibi condemnatos. Inter alios impediabant partes, ne transigerent, ut ipsi haberent exercitationem forensis: cum tamen primis seculis Episcopi solum conarentur Christianos a litibus impedire. Jurisdictio in juris nundinationem verti, religio quæstui sordidissimo auctoritatem tribuere, Christus novos lucrandi ac ditescendi modos doctum venisse videbatur: Christus, inquam, qui amorem paupertatis ore ac exemplo suo tantopere commendavit.

Præter peculiare obtentus jurisdictionis ecclesiasticæ propagandæ generalis quidam inventus est in ratione peccati. Ecclesia, agebant,

C 2

per

*v. Diff. 5.**§. 17.**Conc. de**Lond. 1237.**Hist. l. 81.**§. 81. 12.*

per potestatem clavium habet jus cognoscendi, quidquid est peccatum, ut sciat, utrum remittere id, an retinere, ligare fontem, an solvere debeat. In qualibet autem controversia de commodo profano alterutra pars, & interdum utraque injuste contendit aliquid esse suum: & hæc iniquitas est peccatum: igitur ad forum sacrum pertinet. Ex hoc principio Episcopus erat Judex cunctarum litium suæ dioceseos, & Papa omnium bellorum inter supremos Principes; nempe, ut rem proprie dicamus, solus summo regnabat jure. At facile est enodare hoc sophisma. Ecclesia est Judex omnis peccati in foro interno, quando nocens se de illo accusat; vel etiam in externo, cum crimen est publicum & mali exempli: sed ejus judicium finitur aut irrogatione pœnæ salubris, aut proscriptione sacra sine privatione rei profanæ.

## §. XI.

*Pœnæ profanæ.*

Res profanas potissimum spectabat  
 Clerus jurisdictionem suam infi-  
 nite dilatans. Judices ac ministri ju-  
 stitiæ quærebant lucrum per sum-  
 ptus litium & multas, sine quibus  
 raro dabatur absolutio a censuris: &  
 quia hæ pœnæ sacræ per se ipsas  
 parum timebantur, sæpissime adde-  
 bantur profanæ. Hinc venit illa  
 comminatio in Paparum litteris usi-  
 tata: Alioqui sumemus pœnas sa-  
 cras profanasque; & illud Præfulum  
 Franciæ dictum ad S. Ludovicum Re-  
 gem, quod religionem concidere pa-  
 teretur, nisi juberet occupari bona  
 spernentium anathemata. Sanctus  
 Rex nolebat id agere sine cognitione  
 causæ: sed plura illorum temporum  
 concilia Judicibus profanis sub ana-  
 thematis pœna, si non parerent, im-  
 perabant, ut manus injicerent in bona  
 eorum, qui anni spatio permansissent  
 proscripti. Quoties Judices ipsi  
 censuram contemnebant, non video,  
 quid Ecclesia eis facere potuerit.

*Hist. l. 74.*

§ 46.

l. 88. §. 34.

v. Diss. 3.

§. 16. 17.

*Hist. l. 75.*

§. 20. 21. 43.

*Joinv. p. 13.**Conc. Burd.*

1263. 6. 3.

C 3

Eodem

Eodem ex principio venerunt illæ clausulæ censuris additæ in quibusdam conciliis, & Paparum litteris: Prædia jure beneficiario Ecclesiæ obstricta fisco addicentur: filii fontium ad possidenda beneficia, fontes ipsi ad obeundum quodpiam munus publicum inhabiles erunt: actus, quos tanquam Magistratus ministri facient, erunt irriti: ipsi flagrabunt infamia: mulctabuntur bonis: nemo proscriptis vendet quidquam, vel ab iis emet: & aliæ hujusmodi clausulæ, quæ cernuntur in nonnullis Paparum litteris contra Venetos, Florentinos, aliosque. Facile erat tales sententias scribere, & in Romana curia promulgare: difficultas fuit in executione, ac hujus neglectio in contemptum adduxit auctoritatem, ex qua fluxerant.

*Hist. lib. 91.  
S. 33.*

§. XII.

*Laicorum odium in Clerum.*

Jurisdictio profana a Clericis usurpata concitavit Judices laicos ad reddendam vicem, ut docent querimoniarum

niæ tam frequentes in conciliis seculi *Hist. lib. 39:*  
 decimi tertii ac decimi quarti. Ac *s. 43.*  
 cessit odium tam acerbum, ut aper- *lib. 68. s. 55.*  
 tum quasi bellum esset. Quocirca  
 Bonifacius VIII in principio diplo-  
 matis *Clericis laicos* dicebat, homines  
 profanos contra Clerum inimicitiam  
 antiquam gerere. Hæc tamen anti-  
 quitas comprehendebat ad summum  
 ducentos annos, ac ætatem Arnaldi  
 Brixiani. Sed ad quinque aut sex  
 prima Ecclesiæ secula referendo ani-  
 mum vidisset Bonifacius piam concor-  
 diam Clerum inter ac populum. Ve-  
 rum est: Christus venit bellum mo- *Matth. 10.*  
 turus in terra; sed discipulos inter *v. 43.*  
 ac ethnicos; non bellum discipulo-  
 rum contra discipulos: & hoc in bel-  
 lo omnis violentia erat ex parte eth-  
 nicorum: Christiani tolerabant so-  
 lum, nec obsistebant. Talis debebat  
 esse vita Clericorum. Ipsorum erat,  
 ut priores omnia pararent ad instau-  
 randam hanc concordiam a Christo  
 adeo commendatam velut signum eo-  
 rum, qui revera sui essent discipuli. *Joann. 13.*  
 Episcoporum erat sibi reverentiam *v. 35.*



& amorem populorum conciliare per sanctitatem vitæ ; per studium salutis ovium suarum ; per curam docendi eas, & providendi eisdem de omni genere bonorum spiritualium ac profanorum ; per suam mansuetudinem, patientiam, cunctasque virtutes reliquas.

Sed viam prorsus contrariam inibant. Ferocia tantum, arrogantia, amaræ querimoniæ, mordacia vituperia, comminationes, actiones judicariæ, anathemata, & aliæ censuræ audiebantur, videbanturque ; quæ omnia non exinguebant ignem, sed augebant. Sic irritati magis magisque laici procedebant ad vias facti, & apertas violentias. Comprehendebant illos, qui ferebant Præfulum mandata sive litteras, quas illis ereptas lacerabant. Clericos capiebant, verberabant, includebant carceribus, expilabant, & interdum perimebant. Contra hæc omnia nullum adhibebatur remedium, nisi censuræ toties contemptæ. En funestos hujus dissidii effectus

effectus productos potissimum per extensionem nimiam jurisdictionis ecclesiasticæ!

§. XIII.

*Inquisitiono.*

Indignationis in Clerum a laicis conceptæ causis jam adductis accesserat nova centum circiter abhinc annos, nempe tribunal Inquisitionis. Quam odiosum fuerit, docet difficultas id instituendi etiam in Italia & terris ecclesiasticis; atque cædes Inquisitorum, velut S. Petri Veronensis inter Martyres relati, B. Petri de Castro Novo & tot aliorum. Nec soli hæretici oderant Inquisitionem, quos indagabat hæc ac premebat, sed & ipsi Catholici; Episcopi quidem & Magistratus, quia jurisdictionem eorum minuebat; privati vero, quia his terrificam se reddebat per suam asperam agendi rationem. Vidisti crebras de illa querimonias, & multas Paparum sanctiones eandem moderandi gratia. Demum regiones ali-

*Institut. de*

*eccl. par. 3.*

*c. 9.*

*Martyr. 29.*

*Avr. Hist.*

*lib. 76. §. 36.*

quæ receptam primum Inquisitionem rejecerunt, veluti Gallia: & plures eam nunquam admisere: nec tamen ibi Christiana religio minus bene traditur aut exercetur, quam in terris, ubi plurimum authoritatis habet Inquisitio. Has regiones diversas qui viderunt, id testari possunt.

Finis Inquisitionis est purgatio locorum, ubi viget, ac defensio ab hæreticis. Sed hunc ad finem consequendum adhibentur adminicula, quæ naturaliter gignunt simulationem pietatis & ignorantiam. Metus denunciationis, carceris, ac poenarum ex simplice suspitione, cujus fundamentum foret verbum aliquod inconfideratum, impedit, ne fiat mentio rerum ad religionem spectantium; nequis sua dubia proponat, quæstiones moveat, institutionem quærat. Brevisimum est ac tutissimum tacere, aut loqui & agere more aliorum, sive mens idem sentiat sive non. Qui peccandi consuetudinem contraxit, nec vult relinquere concubinam suam, intra  
quin-

quindecim Paschatis dies in templo parœciæ suæ corpus Christi suscipere haud omittit, ut ne in fine anni deferatur ad Inquisitorem tanquam suspectus de hæresi. Regiones, ubi datur Inquisitio, sunt feracissimæ Theologorum laxas moribus habendas dantium.

Lectio est inter optimos discendi modos; sed ibidem difficilis. Codex facer illic non vulgari sed Latina solum in lingua cernitur: & superstitionis Judaicæ suspicionem præbet, qui eum Hebraico in sermone habet. Plures bonæ editiones Patrum aliorumque Authorum ecclesiasticorum ibi sunt vetitæ, quia factæ ab hæreticis aut suspectis scriptoribus. Saltem præcipitur, ut inde detrahatur quædam præfatio, monitio, explanatio, animadversio; ut in hac & hac pagina deleatur linea quædam aut vox: veluti singillatim & fuse exprimit index Inquisitionis Hispanicæ. His sine correctionibus ne legatur liber aut venalis exponatur, prohibitum est sub pœnis gravibus. Bibliothecæ

*Ind. lib. prohib. Mad. 1667. fol.*

polæ malunt carere onere: ita multi-  
libri boni non veniunt in terras In-  
quisitionis.

*Hist. l. 30.  
§. 25.  
to. 4. conc.  
p. 1260.*

Hac in re sicut in cæteris omni-  
bus admiror sapientiam Veterum.  
Habemus decretum Papæ Gelasii an-  
no 494 in concilio Romano editum,  
quod distincte designat libros tam re-  
ceptos a Romana Ecclesia quam re-  
jectos. At non video censuras alias-  
ve pœnas irrogatas iis, qui legerent  
libros incerti authoris ac dubiæ fidei,  
vel condemnatos. Quapropter cre-  
do Ecclesiam satis habuisse illos indi-  
care, gnaram id sufficere mentibus in-  
tegris, ac severam per inhibitionem  
solum excitatum iri curiositatem æ-  
quo liberiorum ac disciplinæ impa-  
tientium. S. Paulus ad Christianos

*2. Thess. 5. 21* inquiens: *Omnia probate, quod bo-  
num est, tenete!* videtur eis concede-  
re sanctam aliquam libertatem ea di-  
scernendi. Generatim pastores pri-  
morum temporum studebant Chri-  
stianos pro cujusque captu probe e-  
rudire: nec volebant eos regere per  
submis-

submiffionem cæcam; quæ est effectus & causa ignorantia.

§. XIV.

*Querelæ Petri Cugniarii.*

Mutuæ Cleri & laicorum querimoniæ fuere materia celebris disputationis inter Petrum Cugniarium ac Petrum Bertrandum coram Rege Philippo Valesio. Sed causa Ecclesiæ ibi male tum oppugnata, tum defensa dici potest; quia neutra pars illam satis noverat, & utraque falsis infistebat principiis propter incitiam verorum. Has ad quæstiones solide tractandas oportuit rem altius repetere quam a decreto Gratiani, ac redire ad puritatem antiquorum canonum, & ad disciplinam primorum sex aut quinque seculorum. At tunc temporis tam erat incognita, ut ne in mentem quidem cuiquam veniret illam perquirere. Qui Papæ auctoritatem constringere volebant, ad ratiocinandum adjiciebant animum, sicut Marsilius Patavinus; qui ex principiis

*Hist. l. 94.*

*§. 3. 4.*

*Hist. l. 93.*

*§. 19.*

*Gold. Mon.*  
*to. 2. p. 155.*

cipiis Aristotelicæ doctrinæ civilis contendebat Imperatorem habere jus cancellis certis circumscribendi jurisdictionem Præfulum ac ipsius Papæ. Vidisti, quos in errores illum induxerint istæ ratiocinationes.

*Duboulay*  
*to. 4. p. 216.*

Notandum vero inter Marfilii errata numeratam esse propositionem verissimam; & Theologicam facultatem Parisinam hac in re fuisse hallucinatam. Propositio, quam condemnavit, est hæc: Papa vel tota simul Ecclesia ne scelestissimum quidem hominem potest ita punire, ut pœnis violentiam adjungat, nisi hujus potestatem Imperator illi faciat. Potestas a Christo Ecclesiæ data mere spiritualis est ac semper eadem, ut ostendisse me puto: reliqua venit ex concessione Principum, estque varia pro ratione temporum locorumque.

Petro Cugnario duo Præsules responderunt, scilicet Petrus Rogerius electus Archiepiscopus Senonum,  
ac

ac Petrus Bertrandus Episcopus Augustodunensis. Multum temporis consumebant probando, jurisdictionem profanam sacræ non insociabilem, atque Clerum utrique parem esse. Sed hoc non venerat in questionem: intererat scire, an & quo nomine is ambas reipsa haberet; utrum ex institutione Christi, aut ex Principum concessione; & an illi hanc retexere possent, si Clerus manifesto ea abuteretur.

Ad confirmandam Cleri potestatem in res profanas Archiepiscopus ex lege veteri adducebat exempla Melchisedeci Sacerdotis ac Regis, Moyfis & Aaronis, Samuelis, Esdræ, Regum ex familia Machabæorum. Sed hæc exempla ad summum probant duas potestates illas eodem in homine casu conjungi posse: quod nemo vocabat in dubium. Ut iretur longius, demonstrandum fuisset primum quidem, legis veteris Sacerdotes hoc ipso nomine habuisse potestatem in res profanas; deinde, Christum

stum



stum eadem forma Ecclesiam atque profanum Israëlitarum regimen instituisse. Sed neutrum probabitur unquam: ac per omnes legis novæ scripturas, per omnia religionis dogmata primis decem seculis verbo tradita & inde ad nos transmissa constat regnum Christi esse plane spirituale; nec venisse illum, ut in terram quidquam introduceret præterquam veri Dei cultum bonosque mores, nihil mutando in politico regimine variarum gentium, aut in legibus & consuetudinibus ad sola hujus vitæ commoda spectantibus.

*Act. 5. 5.*

Archiepiscopus contendebat postea S. Petrum tanquam Christi Vicarium potestatem vitæ ac necis exercuisse puniendo Ananiam & Saphiram. Responsio est facilis. Episcopus fontem solo verbo suo exanimem humi sternat! Fatebimur hanc illum potestatem habere a Deo. Sed ex hujusmodi miraculis jurisdictionem ordinariam inferre est Auditores aperte ludere.

Archie-

Archiepiscopus utebatur hoc S. Pauli loco: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?* I. Cor. 6. 2. quasi Apostolus per Sanctos intelligeret solos Clericos: cum tamen intelligat Christianos omnes, & solos excludat ethnicos, ut ex reliquo sermone patet. Eodem errore hic Præsul ad Clerum restringebat hæc S. Petri verba: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta:* I. Pet. 2. 9. quæ manifesto dicuntur ad cunctos Christianos. Nec dissimulabat commodum Præsules ad tuendam hanc causam impellens, dum agebat: Si Præsules hoc jus amitterent, Rex ac Regnum perderent unum de maximis ornamentis suis, quod est situm in splendore Præsulum: hi fierent pauperiores vilioresque omnibus aliis, quia magnam suorum reddituum partem percipiunt ex emolumentis justitiæ. Hoc non erat incitamentum, ex quo S. Augustinus, cæterique primorum sæculorum Episcopi tantum laboris sibi sumebant ad dirimendas Christianorum lites: sed neque gloriam episcopatus

in pompa externa & divitiis collocabant. Archiepiscopus concludebat, jura semel Ecclesiæ acquisita pertinere ad Deum sicut reliqua illius bona; nec ei posse adimi sine sacrilegio.

Petri Cugniarii disputatio contra Præsules effecit nihil; tantumque abfuit, ut partium offensionem minueret, ut hanc augeret potius, & utrimque continuarentur contrariæ molitiones. Verum meas hujus materiæ considerationes hic termino; donec decursus historiæ mihi suggeret novas notationes viarum, quas laici præsertim in Francia inierunt, ut ecclesiasticam jurisdictionem constringerent, & arctis finibus, intra quos eam hodie videmus, coercerent.

§. XV.

*Ecclesiæ Græcæ jurisdictio.*

Similes contentiones in Ecclesia Græca non conspicio duabus, ut opinor, ex rationibus. Altera est, quod

quod ejus Episcopi nunquam præfuerint dynastiis vel muneribus, quæ ipsis potestatis publicæ ac regiminis profani partem tradidissent. Altera, quod Ecclesia Græca non agnoverit jus novum a Latina receptum, scilicet decretales falsas, & placita cum eis cohærentia: ut in alia dissertatione notavi, Græci multo minus agnoscebant decretum Gratiani, decretales Gregorii IX, cæterasque collectiones suo schismate recentiores. Totum eorum jus ecclesiasticum consistebat in codice canonum Ecclesiæ universalis aliisque in operibus, quæ comprehendit collectio Parisiis anno 1661 edita sub titulo Bibliothecæ antiqui juris canonici. Episcopi eorum non judicabant nisi materias spirituales; nec alias quam tales pœnas irrogabant, nempe opera piacularia vel censuras ecclesiasticas.

*Diff. 4. §. 8.*

Aliter se res habebat in Syria, Ægypto, cæterisque regionibus ditionis Musulmannicæ. Christiani huic obnoxii conservaverant non mo-

D 2

do

do exercitium religionis suæ, verum  
etiam observationem legum Roma-  
narum, quibus a multis seculis affue-  
verant: & secundum has leges illo-  
rum Episcopi tanquam earum peri-  
tiores reliquis lites privatorum, deci-  
debant in rebus tum spiritualibus,  
tum profanis, saltem quatenus hoc  
illis per ethnicos Dominos  
suos licebat.

